



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

**Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online**

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

## **Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor**

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

## **Ophavsret**

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

## **Links**

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# **DE REBUS AEGYPTIIS.**

**PROLUSIONEM**

**AD INDICENDUM EXAMEN PUBLICUM,**

**IN**

**SCHOLA FRIDERICIBURGENSI**

**HABENDUM,**

**SCRIPSIT**

***FRID. CHRIST. v. HAVEN,***

**IN SCHOLA FRIDERICIBURGENSI PRÆCEPTOR ADJUNCTUS.**

---

**HAUNIAE 1835.**

**TYPIS DIRECTORIS JANI HOSTRUP SHULTZII,  
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.**

Iam anno 1828, cum in schola Fridericiburgensi munere præceptoris fungerer, hocce specimen, cuius edendi occasionem nunc latus arripio, alio quidem consilio composui, cuius ulterius persequendi potestatem mihi defuturam esse, video. Quare ut benevole excipiatis, humanissimi lectores, ista, qualiacunque sint, historico - criticarum disquisitionum initia rogo. Etiamsi forte proventus, qui ad thesauros historicos hinc redundant, fere nihil esse vobis videantur, spero tamen, fore, ut concedatis, viam, quam ingressus sum res Ægyptiorum per vestigaturus, si rite incedatur, posse multam iis præbere lætitiam nec non utilitatem, quorum vires animi in veritate eruenda exercere maxime intersif. Iuvenes igitur literarum studiosos in primis admonitos volumus, ut monstrata vestigia premant.

---

## I.

**D**e interpretibus, quibus relationes de vetere *Ægypto*, per linguam *Græcam* nobis traditæ, sive mediatæ sive immediatæ debeantur.

**H**erodotus, postquam nos docuit, quas regiones Psammitichus Ioni-  
bus et Caribus dederit habitandas, hæc verba subjungit <sup>1)</sup>: *καὶ δὴ καὶ παι-  
δας παρέβαλε αὐτοῖσι Αἴγυπτίους, τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ἐνδιδάσκεσθαι ἀπὸ δὲ  
τούτων ἐμαθόντων τὴν γλῶσσαν, οἱ νῦν ἐρμηνεες ἐν Αἴγυπτῳ γέγονασι;* et  
paucis interjectis: *πρῶτοι γαρ οὗτοι (sc. Jones et Cares) ἐν Αἴγυπτῳ ἀλλό-  
γλωσσοι πατοικίσθησαν.* Ac prorsus amplectimur veritatem relationis, etsi  
ab ipso Diodoro improbatæ, ex qua <sup>2)</sup>, qui ante Psammitichum rerum po-  
titi sunt, inaccessam peregrinis *Ægyptum* fecisse dicuntur, appellentes vel  
morte vel servitute multantes. *Unde liquido apparet, primos interpretes,  
qui inter Græcos et Ægyptios essent internunciū, saltem usque ad aetatem  
Herodoti (cfr. οἱ νῦν ἐρμηνεες) fuisse Ægyptios, non Græcos.*

Satis scio, ut in hac re Herodoto credas, plura exponi non opus  
esse, sed fac, Herodotum tacuisse, nonne ex aliis rationibus idem assequi  
possumus? Græcis in urbes *Ægyptiorum* venire minime lieuit <sup>3)</sup>; ἦν δὲ  
τοπαλαιὸν μούνη ἡ Ναύρατις ἐμπόριον, καὶ ἄλλο οὐδὲν Αἴγυπτον εἰ δὲ τις  
ἐς τῶν τι ἄλλο σομάτων τοῦ Νείλου ἀπίκοιτο, χρῆν ὅμοσαι, μὴ μὲν ἐξόντα ἐλ-  
θεῖν. ἀπομόσαντα δὲ, τῇ νῇ αὐτῇ πλέειν ἐς τὸ Κανωβικὸν. Græcos igitur  
*Ægyptii* omnino sibi obnoxios voluerunt; prætereaque ex omnibus indiciis  
eluet, quantopere veriti sint, ne quid literarum et artium peregrini ipsis  
surriperent. Id utique egerunt, ut mirationem, admirationem, horrorem ex-  
citarent. Quare *Ægyptii*, quippe qui commercium cum Græcis inde a tem-  
pore Psammitichi frequenter haberent, linguam *Græcam* addiscerent, plane  
necessæ erat, dum simul nulla omnino necessitas postularet, ut *Græci*, qui-  
bus in *Ægyptum* extra certa concessa loca venire non permisum erat, lin-

1) Herod. Lib. 2, 154.

2) Diodor. Lib. 1, 67. pag. 203. edit. Wesselingii. Biponti 1793.

3) Herod. Lib. 2, 179.

quam Aegyptiam intellegent. Sacerdotes quidem, etiamsi ipsi forte, alias rationes secuti, Iones et Cares Psammiticho conciliaverint, non potuit non poenitere, quod Graecorum arbitrio res Aegypti temere subjicerentur. Nam omnia in Aegypto maximeque hoc tempore gravissimam hierarchiam spirabant; sub imperio Sabaci<sup>4)</sup>), cuius fere aetate Psammitichus natus est, ζδοξε — πατα τὸν ὑπνον λέγειν αὐτῷ τὸν ἐν Θήβαις θέου<sup>5)</sup>), ὅτι βασιλεύειν οὐ δυνήσεται τῆς Αἰγύπτου μακαρίως οὐδὲ πολὺν χρόνον, ἐὰν μὴ τοὺς ἵερεῖς ἀπαντας διατεμῶν, διὰ μέσων αὐτῶν διέλθῃ μετὰ τῆς θεοπατείας. Etiam Josephus<sup>6)</sup> e scriptis Manethonis refert, Amenophin Amenophi respondisse, ὅτι δυνήσεται Θεοὺς ἰδεῖν, εἰ καθαρὰν ἀπό τε λεπρῶν καὶ τῶν ἄλλων μιαρῶν ἀνθρώπων τὴν χάραν ἀπασαν ποιήσειεν. Num igitur verosimile est, istos sacerdotes tulisse, regem et milites Aegyptios, quos, superstitione ac timore deorum satis perfusos, sibi obnoxios tenere soliti essent, cum Graecis loqui, lingua utentes, quam ipsi non intellegent? Immo! eo ipso tempore, quo Graeci cum Aegyptiis commercium habuisse dicuntur, inter sacerdotes novum collegium ortum est, cuius levissimum officium fuerit munere interpretum fungi, quamquam isti exploratores pallium interpretum gestabant, quorum esse interpretari prorsus credebant reges et milites et bubulei et Graeci. Profecto interpretes interpretati sunt; consiliarii Pharaonis Pharaoni consilia præbuerunt; istud collegium, quod furto ablata a furibus accepit, justo possessori illa restituit; nec aliter apud Persas: Septem principes, qui regi, uti Ormuzdo septem Amschaspandi, aderant, partes ministrorum egerunt; Ferveri, qui bonis hominibus et regibus mala averruncatur erant, mala utique, quamdiu omnia sacerdotibus obsequebantur, averruncaverunt. Isti tamen sacri ministri, etiamsi a Baalibus non obligati essent, sibi ipsis quidem satisfaciendi causa partes exploratorum et speculatorum egissent fere omnes. Secreta consilia et facinora, quæ quis alios latere putaret, jam in

4) Diodor. Lib. 1. 65. pag. 194.

5) τὸν ἐν Θηβαίς θεὸν intelligo Thebarum præsidem, unum de **בָּנֵי יִשְׂרָאֵל**, de quibus infra locuturi sumus.

6) Joseph. contr. Apionem. Lib. I. 26,

collegiis sacerdotum circumferebantur, ita ut deos (בָּנֵי יְהוָה), collegiorum scilicet præsides, esse omniscios, oracula istorum deorum infallibilia, homines profani vix possent, quin crederent mente capti, quibus quidem sacerdotes deos flectere posse haud inepte viderentur; re vera enim omnia, quæ voluerunt, perpetrare poterant sacri ministri. Nimirum, regibus summum imperium ore concedebant; sin autem rex consilio deorum, sacerdotum scilicet arbitrio, morem non gessit, sexcenti utique daemones furiales in locum Ferveri subierunt, et, si rex tam impius fuit, adeo non superstitiosus, inquam, ut gratiam deorum negligeret et invidiam istorum sapientum spernere auderet, satellitibus non minus impiis fretus, licet bono ingenio justoque animo prædictus meliora sequeretur consilia, quam quæ sacro collegio placerent, de eo tamen actum erat; artes enim fraudulentæ consuebantur, vaticinia divulgabantur, quæ ut evenirent, ipsi sacerdotes per ambages callide effecerunt. Quin etiam Apr̄ies<sup>7)</sup>, qui, Græcis sisus, ea fuisse persuasione, „ne deum quidem quenquam posse sibi adimere regnum”, forte solum ob id nefarium dictum interiit, cum scilicet sacerdotes milites post cladem a Cyrenæis acceptam ad seditionem faciendam concitassent, insurrantes<sup>8)</sup>, „eos a rege in apertam perniciem consulto fuisse demissos, ut, his internecione deletis, ipse ceteris Aegyptiis imperitaret securius”. Quicquid id est, ex sola sana ratione cognoscimus, castam, quam vocant, militum vi armorum in ceteras castas ex arbitrio dominari potuisse et quodammodo dominatam esse; quo tempore sacerdotes tamen, prudentia, potissimum vero calliditate et fraude, usi, imperium multo valentius exercuerunt, quam quod nomen summi imperii præ se ferret. Sic etiam in res Aegyptiorum tempore Psammitichi quadrant verba Zoroastris<sup>9)</sup>: „Er (rex) kann ges”bieten, was er will, und seine Befehle sind unwiederruflich; aber Ormuzds Lehre „soll ihn hindern nichts zu befahlen, als was gut und gerecht ist”. Satis quidem cernimus, Zoroastrem bonam justamque rationem spectasse, nec insi-

7) Herod. Lib. 2, 16g.

8) Herod. Lib. 2. 161.

9) Seervens Ideen: 1 Th. pag. 478. Göttingen 1815: e Zendavesta 1. pag. 72. &c.

tias imus, sacerdotes Aegyptios primitus, bonum et justum consilium secutos, ut impedirent, ne quid mali et injusti milites ceterique homines rudes committerent, cultum deorum et consecrationem animalium instituisse, nec mala perpetrare studuisse, quod hominibus daemones furiales aut Ferveros immiserint, ac speculatores, pallium dignitatis pietatisque gestantes, ubique habuerint. Quicquid vero id est, tempore, quo Sabaeus, rerum in Aegypto potitus, rursus abiit, cum tandem duodecim principes, hierarchiam nefariam exosi, summum imperium sibi vindicavissent, aliud utique agebant sacri ministri, speciem sapientiae servantes; nec tamen contumaciam stultorum deponere potuerunt, vel regibus objicientes<sup>1)</sup>: „filius sapientum ego, filius „inquam regum antiquitatis”. Verum enim vero, cum Psammitichus Jonibus et Caribus, qui auxilium ipsi praestiterant, certas sedes in prefectura Tania dedisset, summi sacerorum ministri, ni fallor, simulac res respirandi intervallum iis fecerunt, collegio sanctissimorum convocato, de rebus publicis deliberaverunt, ne scilicet sapientes, viri probi, in posterum violentiam et dominationem militum piratarumque subirent. Quicquid vero in disceptationem ceciderit, ipsa res utique tulit, ut haec oratio aut similis quædam a quopiam prolata sit:

Quantum isti peregrini armis et fortitudine polluerint, experti sumus; esse piratas et feros bellatores scitis; nec ignoratis, quam saepe reges, suis satellitibus fisi, nostra sacra consilia contemserint, ac quam saepe, nisi viri probi omnia circumspicientes, prudentia et sapientia usi, malitiam suppressissent, vis, quin etiam interitus, ab istis impiis atque immorigeris toti systemati sacerdotum parata fuisset. Quæ cum ita sint, nobis curæ cordique esse oportet, ne homo impius et refractarius istos peregrinos ad mala perpetranda in auxilium vocet. Idecirco, inquam, necesse est, e nostratisbus aliqui linquam Græcam edoceantur, qui munere interpretandi fungi possint; deinde, ut Græci aditu in Aegyptum prohibeantur, non vocati; quo efficitur, ut quid, nobis in sciis, clam machinari haud facile possit malitia. —

---

<sup>1)</sup> Esaias 20, 5.

Istud quidem consilium, quod nec probis nec improbis displicere potuit, inter sacerdotes vere prolatum esse ex ipso eventu cernimus; quin etiam, si historia tacuisset, sacros ministros tamen munus interpretandi sibi vindicasse ex aliis rationibus novissemus. Atqui, historia non tacet; e relationibus enim Herodoti satis appetat<sup>2)</sup>, quando ac unde isti interpretes originem traxerint, neque dubitari potest, quin sacerdotes magnopere interfuerit impedire, ne Græci rebus Ægyptiis se admiscerent arbitri.

Hæc omnia nomine regis facta esse concedimus, licet per sacros ministros, consiliarios scilicet Pharaonis, perpetrata. Herodotus quidem modo refert, pueros Ægyptios, jussu Psammitichi, lingua Græca imbutos fuisse, a quibus pueris, non ab aliis Græcis, interpretes Ægyptii in posterum edocti sunt, sed utrum illi pueri e tribu sacerdotum electi sint nec ne, in incerto reliquit, nec minus, num illi pueri alios quam sacerdotes linguam, qua ipsi jam imbuti essent, docuerint. Pueros autem e tribu sacerdotum fuisse, verosimillimum videtur, at nihil tamen ad rem; neque vero dubium est, quin pueri, lingua Græca jam imbuti, sacerdotibus commissi sint, ut isti, quos quidem eximiam solertiam et doctrinam assecutos esse omnes putarent, ingenium suum in hac re ut in aliis exercere possent; ceteros enim Ægyptios alia negotia curare oportebat. Græci vero, qui primi inter Ægyptios recipiebantur, erant piratae, ad bellum et prædationem proni, literarum et artium minime studiosi. Horum igitur non interesse potuit, sive interpretes essent e gente Ægyptia sive e Græca, si modo interpretes in promptu haberent. Cum autem Ægyptii, si quid per Græcos obtinere vellent, suos interpretes, qui jam aetate Psammitichi aderant, utique missuri essent, dum Græci, si quid ab Ægyptiis petere vellent, quoniam certa loca egredi iis non liceret<sup>3)</sup>, interpretibus, quos Ægyptii misissent, internunciis usuri essent, — inde sane intelligimus, interpretes, etiamsi Ægyptii linguam suam Græcos non celavissent, haud facile tamen e gente Græca exoriri posse; fac vero, singulos quosdam Græcos linguam Ægyptiam addidicisse, id quod

2) Herod. Lib. 2, 154.

3) Herod. Lib. 2, 179.

nescimus, interpretandi tamen munus iis esse præcipuum negotium non posset. Quare vix a vero aberramus, si omnia, quæ de *Ægyptiis* rebus Graece scripta (nugas et conjecturas ipsorum Græcorum omittimus) nobis occurrant, saltem cum prima vice Græcis traderentur, per interpretem, e gente *Ægyptia* ortum, percepta fuisse proprio dici posse statuamus, ita ut, ubi auctor hoc vel illud de rebus *Ægyptiis* refert, inquirere debeamus, utrum interpres enunciationes et notiones *Ægyptias* Graece rite expresserit et Græcus verba interpretis intellexerit, nec ne. Forte interroges, cur operam et oleam consumserim, ut probarem, interpretes fuisse de gente *Ægyptia*. Idcirco, inquam, quia neminem de rebus *Ægyptiis* rite judicare posse censeo, nisi istos errores, quos interpretes interpretando importaverint, diluerit; neque diluere potest, qui interpretes fuisse gente *Ægyptia* parum animadverterit. Accedit, quod illis ratiocinationibus ducti, in universum pronunciare jure possumus: Simulac in ea terra, ubi in castas distributi sunt incolæ, manus hominum peregrina utentium lingua certas sedes obtinuerit vel etiam ad aulam regiam vel inter milites honore et auctoritate valuerit, certum est, ordinem singularem, cuius fuerit munere interpretandi fungi, in casta sacerdotum statim ortum esse; quot scilicet variis linguis milites e variis gentibus contracti usi sunt, totidem genera interpretum sacris ministris in promptu fuerunt.

Redeamus ad rem. Utique manifestum est, interpretes *Ægyptios*, qui ex illis pueris lingua Graeca imbutis orti sint, modo sermonem quotidianum percepisse; saltem, quia, adhuc pueri, Græcis committebantur, nullam accuratam de ipsa *Ægypto* et rebus *Ægyptiis* cognitionem assecutierant; neque fieri potuit, quin, inter suos reversi, plures denominationes, quæ in primis vocabulis technicis responderent, vel quæ *Ægyptias* res ipsis Græcis incognitas apte exprimerent, omnino ignorarent. Quas denominations interpretes in posterum, quando eas adhibituri essent, querendo et respondendo obiter addiscerent, necesse erat. Ex istis autem colloquiis maximi prodierunt errores et qui efficerint, ut vel peritissimi Græci, interpretibus invitis, egregie fallerentur. Quemadmodum enim Gallus quidam

tres columbas per drey heilige Geister lingua Germanica reddidisse dicitur, sic lingua Græca haud raro perperam usi sunt interpretes Ægyptii. Cum enim Amasis Græcis fecisset potestatem<sup>4)</sup> pluribus locis aras et fana diis ædificandi, etsi extra ista loca excedere iis vix licuit, ipsi tamen Ægyptii cum Græcis, quorum etiam non parva manus a rege<sup>5)</sup> conducta inter milites versabatur, frequentius collocuti sunt; quo factum est, ut e variis sermonibus, potissimum de diis Græcorum, qui et quales essent, institutis, interpretes Ægyptii denominationes Græcas sibi ipsi excerpserint, quæ ad suas sacras res, quas dissimulare deberent, revocarentur<sup>5)</sup>; e. g. cum Ἐρμῆν dici eum audivissent, qui literas invenisset, statim suum Thouth τὸν πρότερον Ἐρμῆν et suum Tat τὸν δεύτερον Ἐρμῆν appellare non dubitaverunt. Etiam Græci in errores sæpiissime incidebant, se atc ana Ægyptiorum satis expiscatos esse putantes. Græci quidem nihil fere Ægyptios celabant; Ægyptii igitur, quibus de rebus Græcis judicandi potestas fuit, non potuerunt, quin inteligerent, illos in artibus et literis non parum progressos esse, nec in meditationibus philosophicis et metaphysicis ignaros atque inscos. Ægyptii vero omnia fere Græcos celabant; Græci igitur, qui in expiscando et ratiocinando iudicium suum exercuerunt, quia opiniones plebis Ægyptiae, stultitia et superstitione gravidas, maxime offenderunt, quasi istis rebus inesset sapientia, qua sacerdotes gloriarentur, sane non potuerunt, quin jaquantiam et vaniloquentiam eorum accusarent, nec minus erat, quod prophetæ Judæorum in Ægyptios graviter invehementur. Atqui Judæi, ipsi quidem arrogantissimi, majestate Jehovæ elati, accusabant damnabantque; istos accusatores despicerunt sacerdotes Ægyptii, quos utique poenitere non potuit, quod sacramento obligati prohiberentur, ne sua sacra revelarent; Judæos igitur, nihil morati, dimiserunt non refutatos. A Græcis vero, qui modesti, sana ratione nisi, multa iis objecerunt, in iniquum locum deducti sunt; nam ob eam ipsam causam, quod Græci, magna quidem exspectantes, libenter cederent refutati, ob eam causam, inquam, eos scilicet pupu-

4) Herod. Lib. 2, 178.

5) Syncell. pag. 40; e biblioth. Græc. Fabricii. Hamburgi, 1708. Tom. 1, pag. 72.

git, quod ipsis, sacramento obligatis, sua saera revelando refutare non licuit, quos refutare se posse sentirent. Quisquis mentem humanam respicit, is sane nunquam insitias ibit, hanc meam argumentationem justam veramque esse: Si, sacramento obligatum, arcana silentio premere te oporteret, num tibi molestum esset, ea alios celare, qui aut stulti nihil intelligere possent aut in opinionibus praeoccupatis pertinaces nihil concedere vellent? Certe non molestum esset. Atqui, fac aliquem tibi objicere, tua verba et facta a sana ratione abhorrere, nec modo verbis jactare, sed argumentis et ratiocinationibus efficere, ut ipse non possis, quin illis argumentis cedas, nisi si ea, quæ celare oporteat, reveles; objurgationi quidem interdum locus non erit, modo asseveres, te, nisi sacramento obligatus essem, illa crima diluere posse. Sin autem multi, et a quibus magni aestimari tua interesset, undique te despicerent, num id aequo animo ferres, sacramento obstrictus, quo quod te obstrinxisses, etiam jure reprehendi posses?

Ad illa verba provoco, quæ Fabricius e scriptis Borrichii refert<sup>6)</sup>: "accedit horribile illud sacramentum, quo obligatur Horus, ne commissum sibi arcum cuiquam patefaciat, nisi vel taciturno filio suo vel amico securissimo." Herodotus vero, modestus et qui sua cuique tribueret, etiam sacerdoti Ægyptio amicus securissimus facile evasit. Sacerdotes enim Ægyptiorum, quorum solis asseverationibus de solertia ipsorum et sapientia Græci cedere dubitaverunt, non potuerunt non cupide optare, illum Græcum celeberrimum, totius arcani compotem, inter cæteros Græcos pronunciare, eos in universum vera retulisse atque etiam in pluribus artibus soleritiam et intelligentiam assecutos esse, quantam ne somniarent quidem Græci. Nec eos fefellit Herodotus volens; Solonem, Thaletem, Platonem, Eudoxum, Pythagoram<sup>7)</sup> ceterosque prætermitto, qui sapientiam Ægyptiorum ad sua accommodaverunt. Ille autem, quem cernimus<sup>8)</sup> velle fidem dati sacramenti servare, ad ipsos sacerdotes saepius provocat, se fidem violare non

6) Fabric. bibl. Græc. Tom. I. pag. 71.

7) Plutarch. de Isid. et Osirid. pag. 397. edit. Jo. Jac. Reiskii. Lipsiae. 1777.

8) Herod. Lib. 2, 3.

sentiens<sup>9)</sup>. Proh dolor! vel hunc fontem, unde parca cognitio rerum Aegyptiarum hauriri posset, valde perturbarunt interpretes Aegyptii, qui, nulla fere nominum priorum habita ratione, nomina propria Graeca temere substituerunt pro Aegyptiis, quibuscum certae notiones conjungebantur iis similes, quas Graeci ad sua retulerant. Sic enim nomina propria commutare etiam interpretis esse putarunt, qui in interpretando vires exercebant. Ad quam pravam interpretandi rationem promovendam haud parum contulit, quod Graeci Homeri aliorumque de Aegypto fabulationes, quasi in istis esset vera historia, adeo sibi vindicaverunt, ut haud raro interpretes cederent, simulac modo similium rerum Aegyptiarum reminisci possent. Sin autem erant interpretes, qui istas fabulationes nugas haberent, a Graecis vel objurgationes sustinebant<sup>1)</sup>. Omnia recensere neque possumus neque necessarium habemus, sufficit vero modo unum locum recognoscere<sup>2)</sup>: ὕστον δὲ αὐτῆς βασιλεῦσαι Ὡρον τὸν Ὀσίριος παῖδα, τὸν Ἀπολλῶνα Ἐλληνες ὄνομάζουσι· τοῦτον καταπάνσαντα Τυφῶνα, βασιλεῦσαι ὕστον Αἰγύπτων· Ὅσιρις δέ ἐστι Λιόνυσος καὶ Ἐλλάδα γλώσσαν. Ἐν Ἐλλησι μέν τοῦ νεώτατοι τῶν Θεῶν νομίζονται εἶναι Ἡρακλῆς τε καὶ Λιόνυσος καὶ Πάν· παρ' Αἴγυπτοισι δὲ, Πάν μὲν ἀρχαιότατος, καὶ τῶν ὀκτὼ τῶν πρώτων λεγομένων Θεῶν. Ἡρακλῆς δὲ, τῶν δευτέρων, τῶν δυώδεκα λεγομένων εἶναι· Λιόνυσος δὲ, τῶν τριτῶν, οὗ ἐκ τῶν δυώδεκα Θεῶν ἔγενοντο. Habetis mirum ex diis Graecorum et Aegyptiorum decoctum, cuius decoctionis plenum calicem exhaurivit Creuzerūs<sup>3)</sup>. Cum tandem Aegyptii sacerdotes animadverterent, Graecos in gravissimis erroribus et absurdissimis de Aegypto opinionibus hærere nec non vanitatem et vaniloquentiam ipsis Aegyptiis objicere, plures quidem non potuerunt, quin illo horribili sacramento obligati cruciarentur. Hos cerno equidem ea scripta, mysticismo perfusa, concinnasse, quæ sub imperio Ptolemæorum in lucem ederentur, hodie fere omnia deperdita. Quod Graeci in

9) Herod. Lib. 2, 42.

1) Strabo, Lib. 1, 97. edit. Siebenkees. Lipsiæ 1818 vid. infra.

2) Herod. Lib. 2, 144. 145.

3) Creuzeri Symbolik.

prava interpretatione perstabant, arcana se expiscatos esse putantes, non mirum, sed quod viri doctissimi, in absurdas sententias disputantes, usque ad nostram aetatem somniaverunt, ista scripta jam dudum, antequam a sacerdotibus promulgarentur, in arcanis recondita fuisse, id utique mire animum afficit. Alii ista scripta dicebant supposititia, quae alii ab Aegyptio quidem sacerdote edita esse concedebant, sed cuius malam fidem accusarent. Verum enimvero, qui, quantum illo horribili sacramento se non prohiberi putaverunt, illa saera, quae revelare nefas erat, modo tenui velo obtexerunt, ii a Graecis condemnantur, non quod datum sacramentum violaverint, sed quasi de re vera eos reddere incertos voluerint, quos tamen certiores facere voluerunt. Si igitur vitia e prava interpretandi ratione orta tollere ac velum, quo Aegyptii res obtexerunt, detrahere potuerimus, tum demum ipsas res oculis resupinatas habebimus. Quod vero ad interpretationem attinet, observandum est, linguam veterum Aegyptiorum fuisse de dialectis Semiticis. Nam, licet Aegyptii ante adventum Graecorum cum Phoenicibus, Hebreis et Aethiopibus haberent commercium, docuit tamen Herodotus<sup>4)</sup>, Jones et Cares primos fuisse ἐν Αἴγυπτῳ αλλογλώσσους, neque obstat, quod obiter dixit<sup>5)</sup>, Ammonios esse Aegyptiorum atque Aethiopum colonos et linguam ex utrisque mixtam usurpare.

## 2.

## De nomine terrae Aegyptiae.

**I**nicio a verbis Herodoti<sup>6)</sup>: Καὶ εῦ μοι ἐδόκεον λέγειν περὶ τῆς χῶρης δῆλα γὰρ δὴ καὶ μὴ προαισθαντι, ἵδοντι δὲ, ὅσις γε σύνεσιν ἔχει, ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν "Εὐληρες ναυτίλλονται, ἐς τι Αἴγυπτοισι ἐπίκτητός τε γῆ καὶ δῶρον

4) Herod. Lib. 2, 154.

5) Herod. Lib. 2, 42.

6) Herod. Lib. 2, 5.

*τε ποταμοῦ.* Eos quidem, cum quibus Herodotus Memphi vel Thebis vel Heliopoli in colloquium venit, Herodoto teste, sanæ rationi et veritati consentanea retulisse credere licet: Accedit, quod <sup>7)</sup> Heliopolitani feruntur Ἑgyptiorum eruditissimi, ex quibus vel ex Thebanis audivimus: *Αἴγυπτος* ἐστι τὴν "Ἐλληνες ναυτίλλονται, ἐστι Αἴγυπτίουσι ἐπίκτητός τε γῆν καὶ δῶρον τε ποταμοῦ. Satis quidem constat, nomina propria in universum apud veteres orientales gentes significatione quadam fuisse, quæ simul ipsam rem quodammodo describeret. Nonne igitur sacerdotes, Ἑgyptum, nomine Ἑgyptio scilicet nominatam, esse ἐπίκτητόν τε γῆν καὶ δῶρον τε ποταμοῦ dicentes, non tantum naturam Ἑgypti, sed potius, quid nomen Ἑgypti significaret, docere voluerunt? id quod præterea ipsa verborum constructio monstrare videtur. Quid ergo? num ipsi Græci, colloquiis cum Ἑgyptiis nondum institutis, nomen „*Αἴγυπτος*” sibi finxerunt? an primi interpres, pro nomine Ἑgyptio Græcis „*Αἴγυπτος*” reddentes, notionem illius vocis simul quodammodo reddiderunt, ita ut etiam „*Αἴγυπτος*” dici posset ἐπίκτητόν τε γῆν καὶ δῶρον τε ποταμοῦ significare? an deinde est ipsum Ἑgyptum nomen proprium? Commentarium Vitrinæ in Esaiam evolvebam <sup>8)</sup>, ut experiri possem, quid vir celeberrimus, de nomine „*Αἴγυπτος*” protulisset. Nulla e sententiis virorum eruditorum huc allatis probabilis mihi videbatur, quare ipse etymologiam vocis exquirere conabar. „*Ai*” pro *aīa*, unde, spiritu leni in Gamma verso, „*γῆ*” vel „*γῆ*”, terra; *γυπτέος*, *γυπτὸς*, unde Latinis „*gypseus*”, „*crusta gypsea obductus*”; ergo „*Αἴγυπτος*” terra, limo uti gypso crustata. Quis enim ignorat, terras, Nilo adjacentes, crusta vere obductas esse, quæ limum contineret, quem fluvius

7) Herod. Lib. 2, 5.

8) Commentarium Vitrinæ in Esaiam Tom. I. pag. 534. Leovardia 1724. *Perizonius. Orig. Egypt. Cap. 1. Clericus. Annot. in Jos. 13, 1. nomen „Αἴγυπτος” a voce „Αἴγυψ” vel „Αἴγυπτος”;* at Vitrinæ ait: „non putem, vocem hanc Græcis in usu fuisse”. *Bonohartus. Animal. sac. Part. II. Lib. 2, 9. a Copto, celebri Ἑgypti urbe. Berkel. Not. ad Steph. in voce „Αἴγυπτος” ab *ai* pro *aīa* (*γῆ*, *γῆ*) et *γύπτος* pro *γύπτος*, *γύπτος*, ut sit *aīa των Κόπτων*. Ipse Vitrinæ a vocibus *ai* sive *aīyss* et *κοπτός*, unde „Αἴγυπτος” fluvius Copti.*

anno quoque aggereret? Si igitur veram etymologiam tenemus, nomen „*Αἴγυπτος*” modo Græcum esse intelligimus, cui aliud Ægyptum responderit, necesse est. Etiamsi ipsi Græci nomen illius regionis e terrea incrustatione sibi formaverunt, concludere tamen non licet, incolas ipsius regionis suam denominationem ex eadem terræ proprietate desumisse. Atqui, Herodotus Ammonem immorigeris quibusdam olim respondisse refert<sup>9)</sup>: *Αἴγυπτον εἶναι ταύτην, τὴν ὁ Νεῖλος ἐπιών ἄρδει.* Quod oraculum, Ægyptiace editum, sonuit utique indoli linguarum veterum Semiticarum accommodatum, si per X intellexerimus nomen Ægyptum: X — ea, quam Nilus supergressus *bibere facit*. *Εἶναι* vocabulo non exprimitur et pro „irrigavit” dicitur „bibere fecit” „*ῆραγχη*”. Interpres quidem verbotenus Graece reddidit: *Αἴγυπτος ἐστι ταύτη, τὴν ὁ Νεῖλος ἐπιών ἄρδει.* Quare in incerto est, utrum iste deus Ægyptius docuerit:

- 1) X (nomen proprium) est (notione complectendi) illa regio, quam Nilus supergressus &c.;  
an potius, ratione etymologiæ habita:
- 2) X (nomen appellativum) est (notione significandi) ea terrea massa, quam Nilus supergressus &c.

Hanc explicationem, sensu, qui illi oraculo inest, rite percepto, facile probamus omnes: „Satis quidem scitis, eam terream massam, quam Nilus supergressus *bibere facit*, dici X; ii igitur, qui e Nilo *bibunt*, sunt XII, [nec minus vos, qui idem facitis]”. Herodotus vero, originis vocis „*Αἴγυπτος*”, ab ævo Homeri pro nomine proprio usu jam receptæ, ignarus videlicet, cum interpres securus solito more „X” reddidit „*Αἴγυπτος*”<sup>1)</sup> et „bibere facere” „*ἄρδειν*”, non potuit, quin putaret, Ammonem docuisse, Ægypto *contineri* illas regiones, quas Nilus supergressus irrigaret.

9) Herod. Lib. 2, 18.

1) Diodor. Lib. 1, 19 et Strab. Lib. 1, pag. 95. de nomine Nili et regis cuiusdam et Ægypti plura contulerunt, quæ non posse sibi constare infra ostendemus, nec jure ad Herodotum provocavit Strabo: μάλιστα γάρ ἀν προσπίπτοι τὸ φηθὲν ἐφ' Ἡροδότες, διότι δύρων ἦν ἡ χώρα τῇ ποταμῷ, καὶ διὰ τοῦτο ἐξιουστὸ τῇ ἀντεῖ ὀνόματος.

Redeamus ad verba Herodoti: „*Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἑλλήνες ναυτίλλονται, ἔσι Αἴγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ καὶ δῶρον τὸ ποταμός*”. Mihi quidem persuasum est, Herodotum arbitratum esse, se sententiam sacerdotum de *Ægypto* non obiter indicasse, sed ipsum sacerdotum dictum, ab interprete verbottenus redditum, recepisse. Quod nemo negabit, qui animadverterit, eum, postquam plura de ambitu *Ægypti* attulerit, ad illud sacerdotum dictum rursus provocare, suæ editæ sententiæ indulgentem<sup>2)</sup>: „*pleraque pars ex hac terra, quam supra descripsi, etiam mihi ipsi videbatur, uti sacerdotes ajebant, esse ἐπίκτητος Αἴγυπτίοισι.* Nec dubito, quin omnes mihi consentientes habeam, illud dictum, excluso ἔσι, ad indolem illius antiquæ linguae ita componenti: *Ægyptus, ad quam Græci navigant, — Ægyptiis — ἐπίκτητός τε γῆ καὶ δῶρον τὸ ποταμός.* Quis autem miretur, si Herodotus, etsi interpres voce recte expressit „*Αἴγυπτος — ἔσι Αἴγυπτίοισι — ἐπίκτητος γῆ*”, mente tamen percepit „*Αἴγυπτος — ἔσι — Αἴγυπτίοισι ἐπίκτητος γῆ*”. Verosimile utique est, interpretem „*ἔσι Αἴγυπτίοισι*” vere collegisse, quamquam Herodotus intellexit „*ἐπίκτητος Αἴγυπτίοισι*”, id quod e lib. 2, 10 appetet. Enimvero, sive interpres et Herodotus a sensu illius dicti aberraverunt, sive non aberraverunt, si modo, ut supra probavimus, statuimus, interpretem (excipimus ἔσι) verbum verbo reddidisse, certum tamen erit, dictum sacerdotum in hanc meam interpretationem aptissime quadrare, vel quod lingua orientalis vix, ni fallor, pro „*ἐπίκτητος Αἴγυπτίοισι*” composuit „*Αἴγυπτίοισι ἐπίκτητος*”. Postquam haec omnia animo volvi, nihil sano judicio magis conveniens intelligebam, quam sacerdotes Herodotum docere voluisse: ea *Ægyptus, ad quam Græci navigant, ea terra scilicet, quam Græci *Ægyptum* nominant, ab ipsis *Ægyptiis* nominatur nomine, quod explicandum est ἐπίκτητος γῆ, quam fluvius oblimavit (καὶ δῶρον τὸ ποταμός)*. Nisi ita interpretari liceret, cur adderetur „*ἐς τὴν Ἑλλήνες ναυτίλλονται*”?

1) „*Αἴγυπτος*“ igitur videtur explicandum esse „*ἄνα γυπτὸς*“ sive „*terra, limo uti gypso crustata*“.

2) Herod. Lib. 2, 10.

2) Nomen *Ægyptium* ejus terræ, ad quam Græci navigantes se ἐς *Αἴγυπτον* navigare dixerunt, *videtur* proprio significasse „ἐπίκτητόν τε γῆν καὶ δῶρον τε ποταμός” sive „terram, oblimante fluvio, acquisitam”.

Unde concludimus, si vere nomen illi terræ proprium et Græcum et *Ægyptium* notionem quandam specialem exhibuerit, nos quidem veram tenere, quod statuamus, utrumque ex aggestione limi originem traxisse. Aggestione enim limi super terram, quam Nilus irrigabat, teste Strabone<sup>3)</sup>, nullam proprietatem, quæ momentum magis fecerit, cernimus. Etiam Herodotus variis locis idem spectavit<sup>4)</sup>, *Αἴγυπτον esse μελάγγαιόν τε καὶ κατεργάγνυμένην*, ὡς εἰσῆσαν ἵλυν τε καὶ πρόχυσιν ἐξ *Αἴθιοπίης* κατενηνειγμένην ὑπὸ τε ποταμός; item<sup>5)</sup>: εἰ σφι ἐθελήσει, ως καὶ πρότερον εἶπον, ή κώδῃ ή ἔνερθε *Μέμφιος* (αὕτη γάρ ἐσι ἀνξανομενη) κατὰ λόγον τε παροιχομένες χρόνες ἐς ὑψος ἀνσάνεσθαι, π. τ. λ. Quid? quod Herodotus, postquam dixit, *minimum plerisque partem*<sup>6)</sup> *Ægypti* suo jure a sacerdotibus appellari posse ἐπίκτητον *Αἴγυπτίουσι*, nos docuit, regionem infra Memphin (αὕτη γάρ ἐσι ἀνξανομένη) e limo Nili vere in altum auctam et *Ægyptiis* acquisitam esse. Concessit igitur, licet, sententia sacerdotum circumscripta, ambitum *Ægypti* latius extenderit, illam tamen regionem infra Memphin proprie esse ἐπίκτητον γῆν et ἐς ὑψος ἀνξανομένην sive esse regionem e limo Nili acquisitam et in altum auctam, limo scilicet, uti gypso obductam, ac vere *ἄταν γυπτὸν*, unde „*Αἴγυπτος*” supra derivavimus. Si igitur notionem etymologicam spectamus, in regiones infra Memphin, quas quidem Nilus maxime oblimavit, vel fortasse in totam terram, quam fluvius supergressus irrigavit, optime quadrare videtur<sup>7)</sup>. Jam supra autem ostendimus, dicta sacerdotum inquirere aggressi, nomen quoddam *Ægyptium* fere

3) Strab. Lib. 1, pag. 96.

4) Herod. Lib. 2, 12.

5) Herod. Lib. 2, 14.

6) Herod. Lib. 2, 10.

7) Herod. Lib. 2, 5. Καὶ δέ τερον τοιοῦτον.

eandem notionem etymologicam atque eam, quam *Aἰγύπτῳ* inesse putaverimus, satis clare exhibuisse, quare in mentem nobis venit, illud nomen *Ægyptium* fortasse ab interpretibus, qui tamen nomina propria ad linguam Græcam quodammodo convertere soliti sint, Græcis olim redditum esse „*Aἰγυπτοῦ*”, ita ut Herodotus de finibus *Ægypti*, quia interpretes per istam denominationem Græcam semper rite intellexerunt nomen *Ægyptum*, quod illi respondit, a sacerdotibus suo jure quæsiverit. Nunc ipsum nomen *Ægyptum* illi terræ, ad quam Græci navigabant, proprium, quod a sacerdotibus audivimus significasse ἐπίκηπτόν τε γῆν καὶ δῶρον τέ ποταμόν et eam terream massam, τὴν δὲ Νεῖλος ἐπιών ἀρδει, indagare conaturi sumus. In itinerario Pocockii legimus<sup>8)</sup>: „Pelusium heißt auf der chrysantischen Charte Attineh; es ist demnach die Ableitung des Namens in beiden Sprachen, nemlich der griechischen und arabischen einerlei; denn Ταίν bedeutet im Arabischen und πηλὸς im Griechischen, so viel als Roth.“ Lexicis vero consultis, experti sumus, Νεῖλος chaldaice et بَلْسُون arabice „latum“ ac verbum لَانْ, quod sonat *Tana*, „luto obduxit“ significare. Qui hæc rite confert, facile utique agnoscit, si noverit, septuaginta interpretes γῆς per „*Tarītēs*“ redditisse, nomen regionis cuiusdam *Ægyptiæ* vere sonuisse *Tan* vel *Tana* vel *Tanis*, sive interpretes probabiliter sive non probabiliter γῆς ad hocce nomen revocaverint. Apud Herodotum quoque occurrit νόμος *Tarītēs*, regio τῆς Αἰλτα, quam ostio Pelusiaco adjacentem Nilus maxime oblimabat, nec superfluum est, si dynastias Tanitarum, quas Manetho memoravit, luc referimus. Ceterum, quemadmodum الظفين, Attino, pro nomine proprio (regionis scilicet, non urbis Pelusii) in tabulam chrysanthicam receptum, proprie „δὲ πηλὸς“ notat, ita etiam *Tana* modo κατ’ ἔξοχὴν pro nomine proprio ab *Ægyptiis* adhibitum, in regiones infra Memphin et potissimum τὸ Αἴλτα aptissime quadrat. Convenit tamen inter *Ægyptios* modo partem τῆς Αἴλτα nominare *Tana*, eam quidem præfecturam, in qua sola Græcis concessa erat sedes,

8) D. Rich. Pocockes Beschreibung des Morgenlandes von Schreber, Erlangen 1771. 1 Th. pag. 421.

id quod satis ex hisce Herodoti verbis appareat<sup>9)</sup>): „Psammitichus dedit Jo-nibus et Caribus habitanda opposita utrinque prædia, Nilo medio dirempta, quæ castrorum nomen habent.” „Incoluerunt autem Jones et Cares hæc loca longo tempore suntque ea prope mare sita, paululum infra urbem Bubastin ad ostium Nili, quod dicitur *Pelusiacum*.“ Locum dubitandi non jam reliquimus, quin sacerdotibus, cum quibus Herodotus in colloquium venerat, nomen „Tana“, ubi interpres *Ἄιγυπτον* reddidit, obversatum fuerit; quippe cum *Tana*, sive *καὶ ἐξοχὴν* „lutum“, „palus“, „πηλὸς“, esse ἐπίκτη-*τός τε γῆ καὶ δῶρον τὸ ποταμὸν* proprio dici posset; accedit, quod subjun-gitur: „ἐς τὴν Ἑλλῆνες νωντίλλονται; at ea terra, ad quam Græci naviga-bant, erat præfectura Tanitica. Convertimus nunc animum ad oraculum Ammonis, videlicet vix erraturi, si pro X, qua nota, dum ipsum nomen nos latebat, supra usi sumus, *Tana* substituimus: „Satis quidem scitis, eam terream massam, quam Nilus supergressus *bibere facit*, dici *Tana* (lutum); ii igitur, qui e Nilo *bibunt*, sunt *Tanitæ*, [nec minus vos, qui idem faci-tis]. Unde porro sequebatur, ut illi, qui urbem Maream et Apin incole-rent, ab usu boum seminarum prohiberi nolentes<sup>1)</sup>), „nihil sibi cum *Tani-tis* commune esse“ contendent; „se enim, quia extra Delta habitabant, de „interdicto *Tanitarum* securos, velle sibi fas esse omnia gustare“. Illud igitur oraculum, ni fallor, sub dynastia quadam *Tanitarum*, quos per duas dynastias, vicesimam primam et vicesimam tertiam, summum imperium te-nuisse Manetho memoravit, modo eo consilio editum esse prorsus putamus, ut illos immorigeros refelleret; „*Tana*“ enim, pro nomine proprio receptum, solam partem quandam τὸ *Ἄελτα* comprehendisse cernimus. Quicquid ergo Herodotus e suis cum sacerdotibus institutis colloquiis sibi collegit, non jam dubium est, quin interpretes, quos genere AEGyptio fuisse in antecedenti paragrapho probavimus, *Ἄιγυπτον* solam *Tanam* intelligere ante ætatem Herodoti soliti sint, ita ut, ubi Herodotus de AEGypto quæstiones lingua Græca moverit, nomen „*Ἄιγυπτος*“ interpretati sint *Tanam*, cum vice versa

9) Herod. Lib. 2, 154.

1) Herod. Lib. 2, 18.

*Tanam* Herodoto reddiderint *Aἰγυπτον*. Nec tamen in hac opinione, quæ e responsis sacerdotum, quæ Herodotus exhibuit, satis colligi potest, subsistimus. Huc enim si sententiam Jonum revocemus, nos vera deprehendisse vix quisquam negare potest. Jones quidem dixerunt<sup>2)</sup>, *Ægyptum* τὸ παρὰ θάλασσαν εἶναι ἀντῆς μέχρι ταριχῆῶν τῶν Πηλεσιακῶν, τῇδε τεσσεράκοντά εἰσι σχοῖνοι; ne totum quidem Delta vocari *Aἰγυπτον* putaverunt, quamquam, Herodoto intercedente, Jones docuerunt, τὸ Αἴλτα μοῦνον εἶναι *Aἰγυπτον*; eam modo partem τῆς Αἴλτα, in quam maxime paludosam et limosam vere *Tana*, quippe lutum vel paludem sive πηλὸν significans, aptissime quadrabat, quam etiam novimus κατ' ἔξοχὴν vocatam esse *Taniv*, per nomen „Αἰγυπτος“ intellexerunt illi Jones<sup>3)</sup>; εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ χῶροι (ubi Jonibus habitare concessum erat) πρὸς θαλάσσης ὄλιγον ἐνεργεῖ *Bouspháziος* πόλιος, ἐπὶ τῷ Πηλουσίῳ παλευμένῳ σόματι τῆς Νεῖλος. Nunc concedere omnes oportet, *Ægyptios* interpretes olim per *Aἰγυπτον* et *Tanam* eandem intellexisse regionem, solam scilicet præfecturam Taniticam, ad ostium Nili Pelusiacum sive Taniticum paululum infra urbem Bubastin sitam. Diodorus<sup>4)</sup> quidem Θεώνην vel Θέωνιν vel Θῶνιν exhibet pro præfectura Tanitica; quod enim Θ scribit, ubi aliás scribitur *T*, non obstat, ut infra probaturi sumus; quamquam Græcos putasse, hanc regionem, quam ipsi incolæ vocaverunt nomine, quod sonabat Tane vel *Taane*, a rege „Θῶν“, de quo Homerus fabulatur, appellatam esse, satis cernimus, hæc Strabonis verba legentes<sup>5)</sup>: τὸ δὲ παλαιὸν καὶ Θῶνιν τινα πόλιν ἐνταῦθα, φάσιν, ἐπώνυμον τοῦ βασιλέως τῆς δεξαμένες Μενέλαιόν τε καὶ Ἐλένην ἔστια. At sententia Græcorum de rebus *Ægyptiis* non semper sibi constat, præsertim si ad Homerum provocaverint, quasi rerum *Ægyptiarum* peritissimum; quid? quod Homerus ante ætatem Amasis vixit; ante ætatem vero Amasis ipsam *Ægyptum* et res *Ægyptiorum* inspicere Græcis non licuit, quin etiam curæ illis cordique

2) Herod. Lib. 2, 15.

3) Herod. Lib. 2, 154.

4) Diodor. Sicul. Lib. 1, 19. pag. 55.

5) Strabo, Lib. 17 § 16, pag. 532.

fuit impedire, ne Græcis vel casu fortuito res Aegyptias expiscari contingeret<sup>6)</sup>). Nihilominus de adventu Helenæ ad Aegyptum, de rege Thone, de Memnone, de Thebis mentionem faciunt, quasi, quia scilicet cum interpretibus securi et incogitantes similia vel sæpius parum similia, pro iisdem habuerunt, istas poëtae narrationes in dubium vocare nefas esset. Atqui, Homerum in Aegyptum venisse e carminibus ejus non appetet; sed extrinsecus forte singula quædam aucupatum, istas narrationes suo proposito accommodasse credere licet. Improbandum sane est in rebus Aegyptiis testimonium Homeri, cui etiam ipsos Aegyptios ignorantiam objecisse ex verbis Strabonis discimus<sup>7)</sup>: „mirari autem oportet Aegyptios ac Syros, contra quos nunc dicimus, quod non intelligunt Homerum, ea dicentem, quæ in ipsorum sunt patria, et ignorantiam ei objiciunt, cujus ipsos culpam sustinere ostendemus”. Redeamus ad relationem Diodori de Theaana, quam esse Tauri e sola descriptione colligere possumus: *κατὰ γὰρ τὴν καλούμενην Θῶνιν* (al. Θεώνιν, al. Θεώνην) ἐμβάλλοντος εἰς θάλασσαν τοῦ ποταμοῦ, τοῦτον τὸν τόπον ἐμπόριον εἶναι το παλαιὸν τῆς Αἴγυπτου; „quod enim ad Thonin (ut vocatur) attinet, ubi fluvius se in mare exonerat, eam ipsam regionem esse vetustum Aegypti emporium audivi”, ait Diodorus<sup>8)</sup>. Nec mirum est, si illa verba, quæ aliunde huc contulerit, male interpretatus sit historicus, qui scilicet, opinione præoccupata laborans, in animum sibi induxit, Αἴγυπτον esse nomen fluminis, a rege quodam denominati, ac inde porro ipsam regionem eodem modo dici; nos vero, qui notionem nominis, quod illi regioni ipsi Aegyptii tribuerunt, non ignoramus, prorsus arbitramur, interpretem quendam olim (quicquid Græci se percepisse posthac crederent) docere modo voluisse: „ea regio, Theaana ab Aegyptiis dicta, ea inquam, ad quam fluvius in mare se exonerat, est propria vetusta Aegyptus (ο: a Græcis primitus sola appellata est Αἴγυπτος). Herodotus igitur graviter errat, quod, Αἴγυπτος” Aegyptium esse nomen putans, suspicari

6) Herod. Lib. 2, 179.

7) Strabo. Lib. 1, 97.

8) Diodorus Lib. 1, 19, pag. 55.

potuit<sup>9)</sup> , regionem circa Thebas olim solam appellatam esse Αἴγυπτον ; τὸ δὲ πάλαι αἱ Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο . Nec minus certum et exploratum habemus , nomen „Αἴγυπτος” per Græcos a mari usque ad Elephantinam extensum esse suo jure dici posse , non vero cum Αἴγυπτοις , ut Herodotus sibi vult , ab Elephantina usque ad mare descendisse ; neque fas erat statuere , regionem circa Thebas olim solam vocatam fuisse Αἴγυπτον ; constat enim , Tanem primitus solam appellatam esse Αἴγυπτον , nec unquam Tanis vel Τeaana , in quam Græci navigabant , sub nomine „Αἴγυπτος” non inclusa fuit.

Hactenus per „Τάρις” vel „Tana” vel „Τeaana” modo obiter indicavimus , quomodo nomen Αἴγυπτον illius terræ , ad quam fluvius in mare se exonerabat , sonaret ; radicales autem literas , ante oculos positas , majori diligentia spectare debemus . Profecto oportet ad verbum طان (Tana) nomen illius regionis revocare , quod non modo Τάριν vel Θῶνιν vel Θέωνιν vel Θεώνην re vera sonuisse scimus , sed quod etiam notionem , quæ طان inest , luti scilicet vel paludis , accuratissime expressisse supra demonstravimus . Qua de causa , sententiam Vitrinæ aliorumque virorum doctorum prorsus improbamus , qui de nomine γάγ , quod septuaginta interpretes reddiderint Τάριν , ita arbitrii sunt<sup>1)</sup> : „γάγ , demptis punctis Masoretharum , Tsan et , sublato sibilo , Tan , unde Τάρις” ; et alio loco<sup>2)</sup> : „LXX interpretes hie et alibi recte pro γάγ habent Τάρις , et Chaldaeus Paraphrastes תנש , Tanes , estque vere idem nomen . Litera enim γ in medio vocis olim fere usurpata pro vocali in enunciatione , vox γάγ valebat Tsōn vel Tsān , ut בָּל בָּל vel Βῆλ , unde Βῆλος , et , sublato sibilo , Tān , unde Τάρις” . At tam exploratam rem habemus , ut nemo dubitare posset , quin propriæ radicales , quæ vocem „Τάρις” conficerint , sint طان (جـنـهـ). Nimirum , si γάγ , pronunciationis ratione habita , ad „Τάρις” jure referendum esset , Græci utique sonum illius vocis Αἴγυπτος multo diligentius receperis-

9) Herod. Lib. 2, 15.

1) Vitrin. Commentar. in Esaiam II P. pag. 168.

sent, „*Tāvīs*” exhibentes, quam Hebræi; Chaldæum paraphrasten in hac re nihili astimo, quem „*Tāvīs*” literis Chaldaicis temere conscripsisse cernimus. Sint ista! Quemadmodum vero e cognitis regulis grammaticis שָׁמַלְתִּה in שָׁמַלְתִּה vertitur, ita omnino certum evadit, „lutum” in alia dialecto Semitica טָנַתִּי, in alia טָנַתִּה, chaldaice טָנַתִּי, nominatum fuisse. Inter omnes autem, qui linguas Semiticæ inspexerint, constat, Kametz (ׁ, a, aa) in Syriacum Zekopho (ׁ, o) vibrasse; quomodo ergo fieri potuisset, ut Græci sonum vocis diligentius perciperent et exprimerent, quam per „*Tāvīs*” vel „*Θῶνις*” vel „*Θεώνη*”? etiamsi omnes docti in optimis manuscriptis Θεώνην Diodori in nomen Θῶνιν Strabonianum vel Homericum<sup>3)</sup> invertebrent, equidem tamen istam censuram non adoptabo; טָנַתִּה enim sonuit „*Θεώνη*”, neque omittendum, quod e sola descriptione regionis satis colligere possumus, Θεώνην, ratione pronunciationis non habita, vere esse præfecturam Taniticam, ad quam fluvius in mare se exonerabat. Homerus forte, qui scilicet nomen Ægyptium illius regionis, ad quam Græci postea frequentius navigarent, audiverit, inde nomen istius regis Θῶνος finxisse cogitari potest, neque vero regionem (טָנַתִּי, τήλος, lutum; Θεώνα, Θεώνη, Θῶνις, *Tāvīs*) ab isto rege, denominatam esse probabimus.

טָנַתִּי lutum vel paludem, πηλὸν vel ἔλος, significare jam supra ostendimus; quod nomen proprium, cum tam clare suam notionem exhibuerit, minime, ut mihi quidem videtur, verosimile est, interpretes lingua Græca non interpretatos fuisse. Certe urbem primariam præfecturæ Taniticæ Græcis redditam esse Πηλούσιον ipsamque præfecturam τὰ ἔλεα εἰς טָנַתִּי novimus. Lutum, stagnum, palus &c., ubi de regione Tanitica mentio facta sit, est cardo rei; Diodorus<sup>4)</sup>: ”Ad magnam vero paludem, ubi, quæ Barathra nominantur, occurunt, per imperitiam locorum exercitus partem amittit. ”Quia vero de natura hujus stagni et rerum insolentia, quæ hic contingunt, ”in primo a nobis libro dictum est, iterare jam illa supersedebimus. Post

2) I P. pag. 565.

3) Homer. Odyss. 4, 228.

4) Diodor. Lib. 16, 46; pag. 117.

"voragines autem illas superatas rex ad Ηγελούσιον venit, quæ prima primi ostii urbs est, ubi Nilus mare ingreditur." Primum Nili ostium versus orientem, quod dicitur Pelusiacum, est utique proprium ostium Taniticum, ac, si quis interpres aliud ostium nominaverit Taniticum, licet Græcus, notionis, quæ voci πατέντη inesset, ignarus, πηλὸν non somniaret, ipse tamen modo *palustre* et *limosum* intellexit; quare improbamus secundum ostium vocari Taniticum, quod Diodorus<sup>5)</sup> nomine proprio Säiticum appellare debuisse videtur, nec prætermittimus verba Strabonis<sup>6)</sup>: ἔτα τὸ Τανιτικὸν σόμα, ὁ τινὲς Σαΐτικὸν λέγοντι. Quid? quod *Egyptus* dicitur priscis temporibus mari fuisse inundata<sup>7)</sup> μέχρι τῶν εἰών τῶν περὶ τὸ Ηγελούσιον. Apud Herodotum vero in locum incidimus, qui maximum hac in re mo-

5) Diodor. Lib. 1, 30; pag. 86.

6) Strabo, Lib. 17, § 20; pag. 543.

7) Strabo. Lib. 1, 3; pag. 135.

Eos locos, quos e scriptis Diodori et Strabonis excerpimus, non collegimus, 'quasi illae regiones, ob paludes et profundos gurgites fere inaccessæ, præfecturâ Taniticâ continerentur; tractus autem, illis regionibus inaccessis occidentem versus contiguos ac, ingestâ terrâ aggere, jam complanatos, præfecturam Taniticam complexos fuisse putamus, intra ostium Pelusiacum sitam. Regiones vero, juxta ostium Pelusiacum Syriam versus late extensæ, nondum erant habitabiles, quarum descriptioni paululum immorari a re non est alienum. Varii quidem scriptores variis verbis eadem memoran. Herod. Lib. 2. 15. μέχρι ταριχηῶν τῶν Πηλονοταῖων; Strab. Lib. 1. 5; pag. 135. μέχρι τῶν ἐλῶν τῶν περὶ τὸ Πηλούσιον, καὶ τὸ Κάσιον ὄρος, καὶ τὴν Σερβονίδα λίμνην. Lib. 17. § 21; pag. 244. καὶ αὐτὸ δὲ τὸ Πηλούσιον κίνητο περιπεμψα ἔχει ἡ Ιη, ἡ τινες βάραθρος (βάθρα) παλοῦσι. Plutarch. Tom. 5. pag. 105. τὰ τῆς Σερβονίδος ἔκη. Diodorus vero Lib. 1. 30 ipsam regionem accurate descripsit, ac, de lacu Serbonide mentionem faciens, hæc verba subjunxit: τὰ μὲν οὖν προσιημένα πεδία τοιαῖτων ἔχοντα τὴν Φύσιν, οἰκεῖα ἔτυχε προσηγορίας, ὀνομασθέντα Βάραθρον. Nomen "Σερβωνίς," quod quidem sonum vocis ejusdam Aegyptiæ exhibuerit, derivandum est, ni fallor, a voce Σερβός, refractarius, Chaldaice Σερβός, Sarbān, Sarbāān, unde Σερβωνίς, ita ut appellatus sit Iacus luteolentus, insinerus, refractarius, sive Iacus, limum et bitumen ebulliens. Σερβός, unde Σερβωνίς derivavimus, Syris notat "garrivit, effutivit, ebullivit" ac Strabo Lib. 16. § 42, pag. 369. docet, lacum Serbonidem bitumen cum bullis quasi ferventis aqua ebullivisse. Licet quidem sub hocce lacu Serbonide Strabo l. c. Asphaltidem cogitaverit, dubium tamen non est, quin proprius lacus Serbonis codem modo ebulliverit, quo aqua aliis regionibus paludosis ex occlusis scaturiginibus ebullit. Si igitur in veram significationem nominis "Σερβωνίς" inciderimus, Serbon utique in Graecum "Βάραθρα" parum apte verti potuit, nec versum est. Nam, omnia circumspicientes, facile cerninius, Diodorum

mentum faciat<sup>8)</sup>: "Deinde jam regnanti ab undecim regibus ei contigit, ut "exul secunda vice abiret propter illam galeam ἐς τὰ ἔλεα;" et paucis interjectis: "Hi cum in terram exiissent ære armati, Ἀgyptiorum quidam nuntium fert Psammiticho ἐς τὰ ἔλεα ο: ad Ḥ̄נַּעַט"; equidem enim ἐς τὰ ἔλεα intelligo ἐς Τάνιν, in præfecturam Taniticam, nec obstat, quod adjicitur "exul secunda vice"; exul scilicet dici poterat, qui ex arce duodecim regum in provinciam suam fugerat coactus. Profecto præfecturam Taniticam jam id temporis tenuit Psammitichus, quem in præfectura Tanitica sedes Græcis<sup>9)</sup> concessisse scimus.

Repetamus, quid certi et explorati de nomine *"Αἴγυπτος"* assecuti simus:

- a) Inter interpres et Græcos (Jones) per *"הַנָּצֶר"* et *"Αἴγυπτος"* vicissim eandem regionem, eam scilicet, *paululum infra urbem Bubastin ad ostium Pelusiacum sitam*<sup>1)</sup>, *ad quam Græci navigabant*<sup>2)</sup>, *ad quam fluvius se in mare exonerabat*<sup>3)</sup>, *ubi Nilus mare ingrediebatur*<sup>4)</sup>, intelligere ante tempus Herodoti convenerat, cuius de ambitu

8) Herod. Lib. 2, 152.

9) Herod. Lib. 2, 154.

1) Herod. Lib. 2, 154,

2) Herod. Lib. 2, 5.

3) Diodor. Lib. 1, 19; pag. 55.

4) Diodor. Lib. 16, 46; pag. 118.

*Σέρβων* intellexisse nomen ipsius lacus, *Βύραθρα* vero nomen *ταρφηγῶν τῶν Πηλονομακῶν*, quæ eadem esse ac τὰ τῆς Σερβωνίδος ἔλη, eas scilicet paludes, quas nonnulli, teste Strabone, *Βύραθρα* (*Βάθρα*) vocabant, facile cernimus. Atqui, quod Diodorus refert, "casu contigisse, ut illæ regiones, quippe *Báραθρα* dictæ, nomen suæ naturæ conveniens acceperint," id utique suspicionem quandam movet, Græcos nomen "*Báραθρα*" illi loco ipsos non imposuisse nec ut Græcum ab interprete recepisse, sed nomen *Ægyptum* prorsus audivisse, quasi Græca vox "*βύραθρον*" fuisse, quia similem sonum ac βύραθρα reddidisset. Enimvero fieri vix potest, ut et sonus et notio vocis "*βύραθρα*" accuratius reddatur, quam per *בָּאָר אַמְּרָה בָּאָר* v. *בָּאָר אַמְּרָה בָּאָר*, gurges occlusus. Accedit, quod ipse locus paludosus, uliginosus atque subsulsus, unde ὁ ὥπλος τῶν τελμάτων καταπινόμενος, interitum effugere non posset, summo jure, quippe gurges, crustâ limi glutinosi obductus, appellandus erat *בָּאָר אַמְּרָה*, gurges occlusus, sive Græca vox "*βύραθρον*" multo ante ætatem Diodori e lingua Semitica orta sive non orta sit.

Ægypti sententiam interpretes, quibuscum in colloquium venit, percepisse non cernimus.

- b) Licet „*Αἴγυπτος*“ et nomen *Ægyptum*, quod *Αἴγυπτῳ* responderet, eandem fere notionem, luti scilicet, quo Nilus terram oblimaret, exhibuisse videantur, facile tamen, cum nomen *Ægyptum*, quod interpretes primitus reddere soliti sint *Αἴγυπτον*, fuisse ἩΒΑΝΤὶ reperimus, cognoscimus, nomen ἩΒΑΝΤὶ in linguam Græcam vertere *Αἴγυπτον*, ratione notionis etymologicæ habita, interpretibus succurrere ipsis non potuisse.

Quæ cum ita sint, manifestum est, Græcos, de nomine *Ægyptio* imperitos ac securos, sibi ipsos nomen „*Αἴγυπτος*“ conformasse, quod modo obiter regioni imposuerint, ad quam navigare sciverint, et, quemadmodum multi navigatores se in Indianam occidentalem navigare dicunt, etsi, quam late hæc India extendatur, omnino ignorantes, modo ad unicum emporium appellere soliti, ita etiam Græci multa inter se et cum interpretibus loqui ac se in *Ægyptum* navigare dicere potuerunt, de finibus et terminis incursiosi, donec tandem, se ipsos hocce nomen composuisse oblii, quæstiones de finibus *Ægypti*, ad quam navigarent, *Ægyptiis* objecerint; quibus quidem in mentem venire non potuit, fines τὸς Αἴγυπτος, ad quam Græci navigarent, latius extendere, quam ad terminos ipsius præfecturæ Taniticæ, etiamsi certum nomen proprium, in quod equidem incidere non potui, apud *Ægyptios* præfecturas omnes continuisset. Nam quemadmodum Indus quidem occidentalis, ab alia Indiæ insula ad aliam navigaturus, se ad Indianum navigaturum esse apte dicere omnino non potest, ita etiam fieri non potuit, ut *Ægyptius*, solam ad præfecturam Taniticam navigare Græcis concessum esse satis sciens, per „*Δίγυπτος*, ἐς τὴν Ἐλληνες ναυτιλλονται<sup>5)</sup>“, aliam regionem, quam ḤEBANT, Teaanam, Τεάνην, vel rectius, si Diodorum sequamur, Θεάνην, Τάνην denique intelligeret.

Argumentationem quidem Herodoti de ambitu *Ægypti* sanæ rationi prorsus consentire non negamus, sed linguæ *Ægyptiæ* imperitus non po-

5) Herod. Lib. 2, 5.

tuit, quin erraret; nec mirum est, quod omnes Græci in eandem sententiam iverunt. Quod historicus nomen toti regno Ægyptio proprium desideravit, id utique ipsa res tulit, nec nos poenitusset, si pronunciasset:

Satis scio, nomen „*Αἴγυπτος*” consensu Jonum et interpretum modo parti τῆς Αἴλτα, qnæ Ægyptiace dicitur Τεάανα, hactenus tributum esse; cum autem eos, qui lingua utentes eadem ac Tanitæ nobiscum versentur, in universum, licet sæpe Tanitæ non sint, *Αἴγυπτιος* nominare soleamus, volo equidem, ubi res Ægyptias inquisitus sum, eos omnes, qui eidem imperio iisdemque conditionibus subjecti, eadem lingua ac Tanitæ utuntur, *Αἴγυπτιος* dicere et *Αἴγυπτον* intelligere<sup>6)</sup> ταύτην τὴν ὑπὲρ *Αἴγυπτίων* οἰκεομένην.

At Herodotus, falsa opinione de illo nomine jam imbutus, a recta via aberravit, quærens: *Nonne res se ita habet?* ubi quærere debuit: *Quomodo res se habet?* Qua prava ratione cum usum esse ex ipsius verbis colligere possumus: τὸ Μαρτυρέει δέ μοι τῇ γνώμῃ, ὅτι τοσαντή ἐστι *Αἴγυπτος*, ὅσην τινὰ ἐγὼ ἀποδείνωμι τῷ λόγῳ, καὶ τὸ Ἀμμωνος χοησῆριον γενόμενον τὸ ἐγὼ τῆς ἐμαυτῆς γνώμης ὕσερον περὶ *Αἴγυπτον* ἐπυθόμην. Cum enim ab interprete quæsivit: *Nonne mea sententia sibi constat, totam terram, quae ab Ægyptiis incolitur, ab Elephantina usque ad mare, esse Αἴγυπτον?*, ille sane intellexit: *Nonne tota terra, quae a Tanitis incolitur, ab Elephantina usque ad mare, est Τεάανα?* Nimirum, etiamsi istud Ammonis oraculum<sup>7&8)</sup> interpreti vel sacerdoti non succurrisset (at succurrit), sententiae Herodoti tamen facile indulsisset Ægyptius, per „*Αἴγυπτος*” cogitans Πηνεῖον, lutum, quod fluvius relinquebat, qui supergressus *id terræ* re vera irrigabat. Contra, si interrogavisset: *quam late extenditur Αἴγυπτος?*, profecto perceperisset interpres: *quam late extenditur Τεάανα?* Unde, colloquio instituto, Herodotus experiri potuisset, etiam Ægyptios, quamquam sententiae ipsius quodammodo indulgentes, sententiam Jonum tamen prorsus probasse.

6) Herod. Lib. 2, 17.

7&8) Herod. Lib. 2, 18.

Satis lucis huic disquisitioni assudisse mihi videor, nec improbandum est, nomen „*Aἰγυπτος*” ex „*αἴα*, terra” et *γυπτέος*, *γυπτὸς*, *gypseus*” vere ortum esse, unde „*Aἰγυπτον*” terram limo uti gypso crustatam jam supra interpretati sumus. Patet enim ex verbis Strabonis <sup>9)</sup>), oblicationem terræ ob Nilum supergressum fuisse proprietatem, quæ *primum et omnium maxime* animos peregrinorum afficeret: „qualis est etiam Nili adscensio ac maris, ingestu terræ aggere, complanatio. Et, quemadmodum, qui ad *Ægyptum* appellunt, de nihilo prius in regione ea docentur, quam de Nili natura, quod *Ægyptii* neque quicquam magis inauditum peregrinis neque illustrius suarum aliquid rerum habent, &c.” Nec amplius dubito, quin omnes sententiâ eorum <sup>1)</sup>, qui ab „*αἴα*”, et „*Kοπτὸς*” vel ab „*αῑς*” et „*Kοπτὸς*”, ut cætera prætermittamus similia, „*Aἰγυπτος*” derivaverint, nunc facile cedant, et, si quis rex aliquando ab interprete dictus est *Aἰγυπτος*, id quod Diodorus refert <sup>2)</sup>), *Ægyptiace* utique nominatus est *Tanita* sive e præfectura Tanitica ortus. Quid autem? si quando Nilus <sup>3)</sup> appellatus est *Aἰγυπτος*, certum utique est, interpretem quempiam, qui nomen regioni proprium „*ὴγύπτιον*” solito more reddi *Aἰγυπτον* novisset, *Aἰγυπτον* idem ac „*ὴγύπτιον*” significare somniantem, ubi Nilum cogitaverit *limosum* vel *limiferum* dicere ex „*ὴγύπτιον*, limus”, ibi temere scilicet dixisse *Aἰγυπτον*, veræ hujus vocis significationis ignarum. Quicquid id est, Nilum nominari *limiferum* cum ipsa rerum natura conveniebat, Nilum vero nominari *Aἰγυπτον*, si *Ægyptius* interpres veram hujus vocis significationem intellexisset, esset sane a re omnino alienum; at „*Aἰγυπτος*” ubique pro „*ὴγύπτιον*” exhibuit interpres, se errare non sentiens, quippe ab ipsis Græcis non coargutus. Quærere igitur in mentem cuique venit, num non „*ὴγύπτιον*” aut aliud nomen, a „*ὴγύπτιον*” derivatum, proprium fuerit *Ægyptium* Nili nomen, ita ut *Ægyptii* Nilum *νατ’ ἔξοχὴν* *limiferum* dicere in universum soliti essent. *Audio*; ac, si Colchi

9) Strab. Lib. I, pag. 96.

1) Comment. Vitrinæ in Esaiam.

2) Diodor. Lib. I. 19. pag. 55.

3) Diodor. I. 1.

ex Aegyptiis vere orti sunt, id quod facile probamus<sup>4)</sup>, puto equidem, ipsam rem tulisse, ut illi Aegyptii, qui in Colchide ad flumen quoddam sedem fixerint, huic flumini nomen fluminis, cui in patria eorum erat tanta celebritas, imposuerint. Flumen vero Colchorum appellatum fuisse *Tanain* novimus; verosimillimum igitur videtur, eodem nomine, a τανάτῳ derivato, Nilum νεατὸν εξοχὴν nominatum fuisse, præsertim cum interpres, si Nilum dixit Αἴγυπτον, certe τανάτῳ cogitaverit. Accedit, quod Strabo<sup>5)</sup>, ubi alii scriptores „*Taritinos*” dederunt, sonum vocis melius observans, „*Taraios*” vere reddidit; recentiorum enim criticorum corruptas lectiones accipere non amplius possumus, sed prorsus retinemus lectionem „*Taraios*”, quod ad τανάτῳ, Graece male dictum „Αἴγυπτος”, et flumen Colchorum Tanain<sup>6)</sup> supra revocavimus.

Singulos quidem errores Græcorum et virorum doctorum, qui de nomine „Αἴγυπτος” disputaverunt, coarguere omnes nostrum non est; Perizonii vero sententiam<sup>7)</sup>, e nostra disquisitione per se jam satis refutatam, alia via impugnare non supersedebimus: „Jam vero γὺψ, Αἴγυψ et Αἰγύπτιος Græcis notat vulturem, fusci coloris avem. Inde ergo, interposita litera *T*, ut solet post *I*, Αἴγυπτος et Αιγύπτιος de rege et de fluvio et de populo istius terræ, quia fusci et subnigri erant coloris, æque ac vultures. Ne dubitemus (?) de hac vocis significatione et origine, ipsi Græci in glossis Αἰγύπτιον exponunt μέλαν, nigrum, et αἰγύπτιάσαι Eustath. ad Homer. Odyss. pag. 1484 interpretatur ἐπικαῦσαι, adurere”. Erravit sane vir, cæterum clarissimus; nam, quemadmodum, ubi pro tilgavns fært interdum dicitur engelfſ, ex sana ratione concludere debemus, tilgavns fært et handle fært in Anglos et Anglicana egregie quadrare, ita etiam, ubi pro μέλαν et ἐπικαῦσαι dicitur Αἴγυπτον et αἰγύπτιάσαι, nos eodem modo concludimus, μέ-

4) Herod. Lib. 2, 104.

5) Strabo Lib. 17, § 21. pag. 544 et annot. Tzschuckii.

6) Diodor. Lib. 1, 55. pag. 165.

7) Perizonius Origin. Aegypt. Cap. 1.

*λαν* et *ἐπικαῦσαι* in *Ægyptios* et *Ægyptia* quadrasse, nec etymologicam exhibuisse notionem.

Quod Herodotus<sup>8)</sup> *Ægyptum* et Strabo<sup>9)</sup> modo locum quendam in ista terra a Perse appellatum esse *σκοπίην*, *σκοπήν*, referunt, ad nomen *Ægypto* proprium illustrandum non pertinet; certus enim locus, aliis in universum editior, dici potest *σκοπή* specula, quamquam in primis omnem habitationem in ista regione, quæ, Nilo exundante, undis tegebatur, suo jure *σκοπίην* nominare potuerunt, Straboni consentientes<sup>1)</sup>: „Nilo exundante, tota undis tegitur præter habitationes: quæ aut nativis collibus aut aggeribus factitiis impositæ sunt, non pagi modo, sed urbes etiam memorabiles, quæ *eminus conspectæ insularum speciem præbent.*” Observandum est, „בָּקָרְבָּן” apud Hebræos significare „elatus est, editus est” (fremrage, ὑπερέχειν), unde igitur בָּקָרְבָּן Ps. 90, 10 explicatur „id quod τὸ ὑπέρεχον est”, neque, ubi nomen בָּקָרְבָּן<sup>2)</sup> ad *Ægyptum* revocatur, aliter explicari potest, ac per „σκοπή” (ο: τὸ ὑπέρεχον, locus editus). Qua de re Herodotus<sup>3)</sup> quoque docuit: *Ἐπεὰν δὲ πέλθη ὁ Νεῖλος τὴν χώρην, αἱ πόλις μοῦναι Φαίνονται ὑπερέχουσαι.* Sic omnino evanescit miranda Bocharti<sup>4)</sup> *αριβι*, pyro, derivatio. —

Me quidem in nomen quoddam *Ægyptium*, quod prefecturas omnes comprehendenter, incidere non potuisse jam supra dixi, nec *Ægyptios* certum nomen proprium usurpasse, necessarium habeo. Quicquid vero id est, si vere tale nomen *Ægyptiis* in promptu suisset, Moses quidem, ni fallor, in suis scriptis, ubi nomen illi terræ proprium desiderasset, illud retinuisse. Nonne igitur nomen „בָּקָרְבָּן” ipsos *Ægyptios* toti suæ terræ imposuisse inde solum concludere licet, quod Moses id illis regionibus tribuit? Certe quidem, si nomen toti terræ proprium inter *Ægyptios* crebro usitatum fuit.

8) Herod. Lib. 2, 15.

9) Strabo Lib. 17. § 18; pag. 538.

1) Strabo Lib. 17. § 4, pag. 483.

2) Esaias 30, 7 et aliis locis.

3) Herod. Lib. 2, 97.

4) Vitrini. Comment. in Esaiam, Tom. II, pag. 171. Bochart. Geograph. sacr. Lib. 4, 24.

Mirum autem est, quod, quantum mihi indagare contigit, nihil omnino aliunde occurrit, quod usum hujus apud ipsos *Ægyptios* prodat. Syncellus quidem docuit<sup>5)</sup>, illam regionem usque ad ipsius tempus ab *Hebræis*, *Syris* et *Arabibus* appellatam esse *Mesopotamiam*, ac dominos *Ægyptios* Chamo ortos in *Chronico* vetere dictos esse *Mesopotamios*; at dubium quidem vix est, quin et *Syri* et *Arabes* et *Chronicon* *vetus* e saera *Judaeorum* scriptura in linguas suas istud nomen repperint. Lieet illa nomina virorum et gentium, quæ Moses congesserit, primitus haud dubie significationem quandam etymologicam continuerint, nullam omnino ejus rationem habuit sanctus vir; neque enim ad nigrum *Afrorum* colorem vel æustum illius tractus nomen  **חוֹמָה** revocare mihi in mentem venire potuit. Ceterum, Vitrinam<sup>6)</sup>, Bocharto consentientem, quodammodo probabam: „ut adeo, quod Mitsraim „recenseatur inter Chami filios, non aliter sit intelligendum, quam Chamo „genitos esse homines, qui *Ægyptum* incoluerunt”; in sententiam enim Herderi de hac re facile ibimus omnes<sup>7)</sup>: „Die Genealogie der Söhne Noahs scheint nichts als eine Landkarte der Gegenden zu seyn, die der Sammler dieser Nachrichten kannte, in einer Projektion entwerfen, wie er sie ansah und mit dem Stammvater seines Volks nach Charakteren, die er uns nicht angiebt, in Verbindung brachte. Quare putamus, si quid putare fas est,  **חִוָּם**, quia Mitsraim dicitur filius Chami<sup>8)</sup>, aliquid fuisse, quod e  **חִוָּם** ortum esse diei posset. Sanæ autem rationi, ni fallor, magis consentaneum est, si credimus, Mosen ex *Ægyptio* urbis Thebaicæ nomine, quod sonuisse „*Χέμυω*” Diodorus resert<sup>9)</sup>, nomen  **חִוָּם** concepisse, quam si quis in animum sibi inducit, *Ægyptios* suam urbem nomine filii illius Noachi vocasse. Sint ista! verosimile tamen evasit, Diodorum quidem sonum neminis *Ægyptii* satis accurate observasse, præsertim cum etiam Herodotus<sup>1)</sup> de urbe „*Χέμυως*” men-

5) Georg. Syncellus. *Chronograph.* pag. 37, 58, 51. Vitr. Com. in Es. Tom. I. pag. 536.

6) Vitrin. Com. in Es. Tom. I. pag. 535. Boch. *geogr. sacr.* Lib. 24.

7) J. G. v. Herders sämmtliche Werke. Stuttgart und Tübingen 1827. 1 Th. pag. 17.

8) Gen. 10, 6.

9) Diodor. Lib. 1, 18; pag. 52.

1) Herod. Lib. 2, 91.

tionem fecerit, cujus relationes de hac re ille temere conscripsisse non cernitur. Nomen igitur „χειμῶ” vel „χέμης” literis Hebraicis exprimere conaturi, in vocem חַמְרָה incidimus, quæ sonuit χειμά. Nihilominus, etsi fortasse ex חַמְרָה, quod exponitur butyrum, significationem extorquere potuisse, quæ quadammodo interpretationi Diodori aut naturæ ipsius regionis conveniret, ad aliam tamen vocem, quæ ipsam notionem, quam nomini „χειμῶ” fuisse Diodorus refert, accuratissime prodiit, potius provoco, quamquam ea ipsa vox sonum nominis „χειμῶ” vel „χέμης” minus exacte æquat. Primum igitur investigaturi sumus, unde notio nominis „χειμῶ” petenda sit; Diodorus, postquam de simulacris Panos, in omni passim fano collocatis, mentionem fecit, docet<sup>2)</sup>, etiam urbem in Thebaide ejus nomine exstructam fuisse, quam incoleæ appellarent χειμῶ, μεθεομηνευομένην Πανὸς πόλιν. Infra vero ostendemus, ubi interpres dixerit „πόλις χειμῶ”, ratione status constructi habita, se dicere „πόλις χειμῶς” putans, Græcos intellexisse „πόλις, καλεομένη χειμῶ”; unde colligimus, interpres, qui illam urbem inter interpretandum Πανὸς πόλιν nominaverint, Aegyptiam vocem „χειμῶ” reddidisse Πανὰ, nec tamen putare licet, Græcum nomen „Παν” nomini Aegyptio „χειμῶ” in totum convenisse. Quam vero notionem interpres, in errorem ab ipsis Græcis inducti, nomini „Παν” tribuerint, e relatione Herodoti facile agnoscimus<sup>3)</sup>: γράφουσί τε δὴ καὶ γλύφουσι οἱ ξωγράφοι καὶ ὁ ἀγαλματοποιοὶ τοῦ Πανὸς τώγαλμα, κατάπερ Ἑλλῆνες, ἀγορόσωπον καὶ τραγοσκελέα, ὅύτι τοιοῦτον νομίζοντες εἶναι μιν, ἀλλ᾽ ὅμοιον τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι, ὅτεν δὲ εἶνεν τοιοῦτον γράφουσι ἀντὸν, οὐ μοι ἥδιόν εστι λέγειν. Græci igitur, cujus simulacrum caprina facie hircinisque cruribus pingebatur, eum temere dixerunt Πανὰ, etsi quidem nihil aliud cum Pane commune habuit. Cur autem iste Pan ita pingeretur, se patefacere nolle professus est Herodotus, qui in alio loco<sup>4)</sup> patefacere non dubitaverit, cur ejus simulacrum, qui nominatur Jupiter Ammon, arietina facie instructum fuerit. Enimvero,

2) Diodor. Lib. 1, 18; pag. 52.

3) Herod. Lib. 2, 46.

4) Herod. Lib. 2, 42.

utrumque simulaeum ex iisdem aut similibus rationibus originem et formam accepisse putamus, præsertim cum in sculptura quadam ectypa, quæ adhuc ad Medinat Abu restat<sup>5)</sup>, sacerdotes, qui capita variorum animalium præ se ferant, viro cuiusdam, regi fortasse, sese repræsentasse conspiciuntur, ita ut dubitari vix possit, quin nomen illius urbis „χεμυω” ad istum deum et istum sacerdotem, qui, facie caprina præditus, se repræsentaverit, revocandum sit. Quare etiam pronunciare fas est, hanc urbem consensu interpretum et Græcorum nomine Πανὸς vocatam fuisse, quia Græci, Ægyptiis facile concidentibus, in animum sibi induxerint, opinionibus præoccupatis et vanis imperitorum conjecturis capti, Pana in ea ipsa urbe coli, quemadmodum ea urbs dicitur Αἰόσπολις, in qua Jovem coli crediderunt. Certum ergo erit, nisi fallor, nos, omissis ipsorum Græcorum sententiis, solis e relationibus eorum de χεμυω vel χέμυις concludere oportere, χεμυω apud Ægyptios significasse *istum deum istumve sacerdotem*, qui facie caprina hircinisque cruribus et pingueretur et sculperetur aut etiam sese repræsentaret ista persona instructum, ac Πανὸς πόλιν fuisse urbem, in qua χεμυω præsideret.

Nunc ipsam vocem Ægyptiam, quam χεμυω vel χέμυις Græci pronunciaverunt, aliunde exquisituri sumus. Hebræi de חָמְנִים mentionem fecerunt, ad quos חָמְנִים nomen χεμυω revocandum esse probabimus. Docet quidem Rabbi Salomon<sup>6)</sup>: „idola erant, quæ ponebant super tecta et quia soli erant exposita, appellabant ea חָמְנִים.” Ad sententias vero atque explicaciones Rabbinorum de idolis gentium non securi provocare possumus; ipsi ex ipsa sacra scriptura notionem illius vocis investigare debemus. E loco quoque<sup>7)</sup>, ubi occurrit vox חָמְנִים, facile intelligimus, eam significasse aliquid, quod ad idololatriam gentium pertinuerit, nec septuaginta interpretes<sup>8)</sup> aliud intellexisse videntur. Cum vero illa vox verbis כֶּרֶת, גַּדְעֹן, שָׁבֵר, subjiciatur, sole utique clarius est, חָמְנִים e sententia Hebræorum fuisse

5) Description d'Egypte. Part. II. Planch. 13.

6) Buxtorf. lexic. hebr. et chald. Basileæ 1710, sub voce חָמְנִים.

7) Levit. 26, 30. II Chron. 34, 4, 7. Ezech. 6, 4.

8) LXX, Levit. 26, 30. τὰ ἔνθιτα χεροποιητα ὑμῶν. II Chron. 14, 4. τὰ εἰδωλα.

χειροποίητα nec non εἰδωλα χειροποίητα sive ξυλινα sive ex alia materia elaborata, neque vero istam vocem reddi posse τὰ τεμένη<sup>9)</sup> putamus, quamquam LXX interpres alibi ita interpretati sunt. Hoc modo in ipsam rem inducti, verba scripturæ, quæ adjicimus, explicata volumus:

**וַיָּנָתְּעֻ לִפְנֵיו אֶת מִזְבְּחוֹת הַבָּאֵלִים וְהַחֲמָנוֹם אֲשֶׁר לְמִלְחָמָה מִעַלְיכֶם גַּרְעָן**

Claudicat sane versio septuaginta<sup>1)</sup> interpretum nec sequenda est vulgata, neque tamen explicatu sunt difficultia: destruxerunt (operarii Josiae) coram ipso (Josia) altaria Baalium, et Chammanes, qui summa pars super iis (altaribus) erant, abscedit (ipse Josias). Altaria igitur Baalium, non ipsi Baales, destrui potuerunt, sed ipsi Chammanes abscedi poterant. Unde patet, **חֲמָנוֹם** idola vere fuisse nec non idola, quæ personas ipsorum Baalium, supra commemoratas, representarent. Judeos quidem in universum idolatriam ab Aegyptiis aut vicinis populis accepisse ex ipsa sacra scriptura novimus. Atque etiam, quantum res Aegyptias et collegia sacerdotum perspicere omnibus contingere potest, manifestum est, cultum Baalium et Chammanium ex Aegypto ortum esse, quippe cum, ubi de idolatria Judæorum mentio injicitur, recenseantur Baales<sup>2)</sup>), **Baal scilicet soli et Baal lunæ et Baales astris et Baales omni exercitui coelorum**, de quorum mortali natura Plutarchum<sup>3)</sup> vera retulisse intime sentimus: ἐ μόνον δὲ τάτων διὶ ιερεῖς λέγεσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν, ὅσοι μὴ ἀγέννητοι, μηδὲ ἄφθαρτοι, τὰ μὲν σώματα παρ' αὐτοῖς πεῖσθαι καμόντα καὶ θεραπεύεσθαι, τὰς δέ ψυχὰς ἐν ἔρανῳ λάμπειν ἀερα, nec adeo stultos et absurdos habemus Aegyptios sacrorum ministros, ut putaverint, horum deorum animas in stellas mutari vel configere. Qui autem, summo honore et auctoritate prædicti, dicebantur dii, **בָּאֵלָן**, collegii sacerdotum præsides, eorum successio et nego-

9) Ezech. 6, 6. τὰ τεμένη.

1) II Chron. 34, 4. καὶ κατέρεψαν κατὰ πρόσωπον αὐτῶν τὰ θυσιασήρια τῶν Βααλείμ καὶ τὰ ἕψηλα τὰ ἐπ' αὐτῶν· καὶ ἔκοψε ἡ. τ. λ.

2) II Reg. 23, 5.

5) Plutarch, de Isid. et Osir. Tom. 7. pag. 417.

tia ad circuitum solis, per duodecim signa Zodiaci anno quoque peractum, instituta erant, ita ut duodecim signa Zodiaci duodecim deos requisiverint, e quibus si quis mortem obiret, statim in auctoritatem et honores ejus subiret alius; quo modo animæ eorum in coelo fulgere atque stellæ esse jure dici poterant. Idem sane e relationibus Herodoti colligere possumus, adeo ut nemini negare lieeat, quin, etiamsi ipse Herodotus alia somniaverit, nos tamen de illis diis vera assecuti simus<sup>4)</sup>: „Ægyptii vero tri-“cenorum dierum habentes *duodecim menses*, adjiciunt cuique anno quinos „dies extra numerum, unde eis circulus temporum semper constat eodem rediens. Ægyptios quoque primos dicunt *duodecim deorum cognomina* in „usu habuisse et ab illis Græcos fuisse mutuatos”. Qui quidem dei, suo quisque mense, collegio sacerdotum pafuerunt. Judæi vero, sive eadem atque ipsi Ægyptii de istis Baalibus censuerunt, sive alia censuerunt, sacra tamen Ægyptiorum sacerdotum arcana inspicere minime potuerunt; unde certe factum est, ut illa sacerdotum religio, quæ a sana ratione et vera generis humani utilitate primitus vix abhorruerit, a stultis et ignariorum conjectoribus in Judæam translata, nihil sanæ rationi conveniens retinuerit atque inde propria evaserit idololatria. Omnia igitur circumspicientes, relationibus Græcorum inter se collatis, dominum quemque, qui collegio cuidam præfuerit, dici בָּאֵל, atque illos Baales e medio sacerdotum fuisse satis cernimus, nec non summos sacerdotes, sacerorum collegiorum antistites, viros sanctissimos, dominatores naturæ et totius mundi eosque deos, μὴ ἀγενήτους μηδ' αφθάρτους. Nec amplius dubitari potest, quin ea idola, quæ personas illorum Baalium ad altaria gesserint, dicta sint בְּנֵי בָּאֵל. Utrum vero illi Baales fuerint בְּנֵי בָּאֵל, an בְּנֵי בָּאֵל, an alii Baales, exquirere minus succedit; quamquam scimus, quosdam, voem בְּנֵי בָּאֵל e radice בְּנֵם derivantes<sup>5)</sup>, בְּנֵים, consentiente Aben Esra; intellexisse Baales soli. Certe

4) Herod. Lib. 2, 4.

5) Ed. Leigh. Critica sacra; latine edidit Henricus a Middach. Amstelodami 1679. sub voce בְּנֵי בָּאֵל. Aben Esra ad Ezech. 6, 4. Gesenii lexic. hebr. sub voce בְּנֵי בָּאֵל.

quidem derivanda esse videtur vox חָמֵם e radice חָמָם, *calefecit*, quemadmodum vox רְחַנּוּם derivanda est e radice רְחִנּוּ, *perforatus est*, unde illi voci formam singularis numeri חָמָם deducimus, nec quidquam obstat, quin חָמָם, veluti tempore Mosis fuisse חָמָם, tempore Diodori in נְפָרָה vel נְפָרָה transformatum sit itaque sonum χεμμω̄ accurate exhibuerit; sic enim pro נְלָקָת usurparunt Chaldaeи נְלָקָת, vel fortasse potius velis, ut נְלָקָת habeamus Chaldaeorum emphaticum. Herodotus vero aut aliam formam ψָמָם vel pluralis numeri חָמָם, נְפָרָה apud Aegyptios offendit aut vocem linguae Graecae accommodavit. Plutarchus autem sonum vocis male observasse videtur<sup>6)</sup>: πρώτον δὲ τῶν τὸν περὶ χεννιν ὀικέντων τόπον πανῶν καὶ σανύρων τὸ πάθος· αἰσθομένων καὶ λόγων ἐμβαλόντων περὶ τὴν γεγονότος, τὰς μὲν αἰφνιδίους τῶν ὄχλων ταραχὰς καὶ πτυχίεις ἔτι νῦν διὰ τέτο πανιὰς προσαγορεύεσθαι.

**De Panibus et Satyris**, qui regiones circa Chennin incoluerunt, mentio injicitur, quorum quidem simulacra (חָמְנוּם, חָמְנוּם) in Thebaide, teste Diodoro, in omni passim fano collocata erant, ac urbem extruxerunt regionis incolæ, Graecis nomine Πανὸς<sup>7)</sup>, Aegyptiis vero χεμμω̄ nominatam. Quomodo autem vox „χεμμω̄”, quatenus Graecis redita fuerit per „Πᾶν”, sit intelligenda, supra ostendimus<sup>8)</sup>, adeo ut satis exploratum habeamus, incolas illius urbis, nomen נְפָרָה vel נְפָרָה efferentes, cogitasse τὸ εἰδωλον, idolum videlicet οὐρανὸς εἴσοχγην, caprina facie hircinisque cruribus instructum (Πάνα), unde interpres urbem dixerint Πανὸς πόλιν, ubi alii dixissent Εἰδώλες πόλιν (fortasse in lingua Aegyptia „חָמְרִית חָמְרִית מֶלֶךְ”), urbem, in qua *idolo*, *quod personam cogniti eiusdem Baalis gessit*, institutum fuit templum celebre. Certam igitur veramque inquirendi rationem secuti, sententiam eorum, qui ex nigro terræ colore denominationem χηνία ad filium Noachi חָמָם referunt<sup>9)</sup>, probare non possu-

6) Plutarch. de Isid. et Osir. Tom. 7; pag. 405.

7) Diodor. Lib. 1, 18. pag. 52.

8) Herod. Lib. 2, 46.

9) Psalm. 48, 3.

1) Bochart. geograph. sacr. Lib. 4, 1.

mus, nec e verbis, quae aliunde repetita apud Plutarchum occurunt, argumentum trahi potest, quod eorum sententiam firmet<sup>2)</sup>: ἐτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον ἔσσεν, ὥσπερ τὸ μέλαν τὸ ὄφθαλμός, χημία παλέσσε. Qui enim totam paginam legit, is sane facile agnoscit, ista verba fabulationi ac conjecturis deberi Graeci eujuspiam ex iis, qui<sup>3)</sup> ἐπίσημοι βελόμενοι γενέσθαι σοφίην jure dici possint. Iste vero, „ώσπερ τὸ μέλαν τὸ ὄφθαλμός” adjiciens, se ad Graecam vocem „χήμωσις”, *aliquid nigri in oculo eminens*, provocantem arguit, eujus tamen explicationis auctori gratiam habemus, quod nos certiores fecit de voce χεμμῶ, χέμμις, χέννις, Χέμη, vel fortasse pluralis numeri χέμμη, ινχέμη, obiter docens, partem Aegypti vere vocatam esse χημία. Ubi autem interpres ριχτή aut simile quid (Ps. 105, 23. סְמִינָה אַרְצָה) reddidit „חַיָּה χַמְעֵנָה”, intellexerunt quidem Graeci<sup>4)</sup> „חַיָּה, χַמְעֵנָה παλευμένη”, etsi ob statum constructum intelligere debebant „חַיָּה χַמְעֵוָה”, „חַיָּה τῶν περὶ χέννιν (ο: Πανὸς πόλιν, מִקְרִית חֶמְמִים) ὀικέντων πανῶν καὶ σατύρων”, terra videlicet, in qua ipsi Baales eorumque Chammanes (εἰδωλα) conspiciebantur personis animalium induti, unde Πάνες et σάτυροι Graecis dicti. Evidem illa verba „חַיָּה, χַמְעֵנָה παλευμένη” supra composui, verba Herodoti<sup>5)</sup> „נְגָדָס, נְגָמָםις παλευμένη” mente amplexus. Lectionem Laur. Vallæ<sup>6)</sup> נְגָמָםις pro ḥ נְגָמָם prorsus probamus, non modo quia articulus ḥ naturæ linguae Graecæ hoc loco parum convenisset, sed etiam quia aliis locis, ubi in denominationes Aegyptias verbis παλέω, προσαγορευώ, μεθερμηνεύω, adjunctos incidimus, nobis nullus occurrit articulus. At, etiamsi ipse Herodotus articulum somniavit, Aegyptius tamen, ni fallor, certa voce exhibuit Chemmion (חֶמְמִין χַמְעֵן), ipsi Baales eorumque Chammanes conspiciebantur personis animalium induti. —

2) Plutarch, de Isid. et Osir. Tom. 7; pag. 457.

3) Herod. Lib. 2, 20.

4) Plutarch, de Isid. et Osir. Tom. 7; pag. 405. — Diodor. Lib. 1, 18; pag. 51 et 52. —

5) Herod. Lib. 2, 156.

6) Annotation. ad Diodor. Lib. 1; pag. 527.

Si igitur nomen χαμ ad regiones Thebaicas referimus, ab apta loquendi formula non discedimus, si dicimus, *Ægyptios infra Thebaidem* (terram Chemmum, terram Chami) Chamo natos esse aut Chamo ortos esse, adeo ut e terra Chemmum, προιούσης τῆς χώρης, exierint, qui incoluerunt מצרים אֶרְצָן, terram utriusque angustiæ<sup>7)</sup>), terram, quæ in duas partes Nilo dividebatur inter montes Arabicos et Libycos coactata. —

---

7) Bochart, geograph. sacr. Lib. 4, 24.

Den offentlige Examen i Frederiksborg lærde Skole for  
Aaret 1835 holdes saaledes:

Skriftlig Pröve:

<i>Mandagen den 21 Septbr.</i>		<i>Tirsdagen den 22 Septbr.</i>
8-12.	Latinsk Stiil.	Kl. 4. 3. 2. 1.
2-6.	Dansk Stiil.	Kl. 4. (Historie).
2-6.	— — —	Kl. 3. 2. 1.
		8-12. Dansk Stiil. Kl. 4. (Religion).
		8-12. Latinsk Version. Kl. 3.
		8-12. Regning. Kl. 2. 1.
		2-6. Latinsk Version. Kl. 4.

Mundlig Pröve:

a) for Candidaterne:

<i>Torsdagen den 24 Sept.</i>	<i>Fredagen den 25 Sept.</i>	<i>Löverdagen den 26 Sept.</i>
8-10½. Græsk.	8-11. Arithm. og Geom.	8-11. Latin.
10½-12. Hebraisk.	3-4½. Fransk.	3-5. Religion.
3-6. Hist. og Geogr.	4½-6. Tydsk.	

b) for den övrige Skole:

<i>Mandagen den 28 Septbr.</i>	<i>Torsdagen den 1 Octbr.</i>
8-11. Latin. Kl. 4.	8-10. Græsk. Kl. 4.
11-12. Hist. og Geogr. Kl. 1.	10-12. Tydsk. Kl. 4.
3-5. Græsk. Kl. 3.	3-5. Fransk. Kl. 3.
5-7. Hist. og Geogr. Kl. 3.	5-7. Tydsk. Kl. 3.

*Tirsdagen den 29 Septbr.*

8-10. Latin. Kl. 2.	<i>Fredagen den 2 Octbr.</i>
10-12. Hist. og Geogr. Kl. 2.	8-9. Latin. Kl. 1.
3-5. Arithm. og Geom. Kl. 4.	9-10½. Religion. Kl. 3.
5-7. Religion. Kl. 4.	10½-12. Fransk. Kl. 4.

*Onsdagen den 30 Septbr.*

<i>Onsdagen den 30 Septbr.</i>	<i>Löverdagen den 3 Octbr.</i>
8-11. Latin. Kl. 3.	
11-12. Hebraisk. Kl. 3.	8-10. Hist. og Geogr. Kl. 4.
3-5. Græsk. Kl. 2.	10-12. Hebraisk. Kl. 4.
5-7. Religion. Kl. 2. 1.	2-4. Arithm. og Geom. Kl. 3.

Disciplenes Forældre og Værger samt andre Skolens Velyndere indbydes herved til at bære den offentlige Examens mündtlige Deel med deres Nærværelse.

F. P. J. Dahl,

Frederiksborg, den 10 Septbr. 1835.

Overlærer,

h. t. Vicarius Rectoris.

De Candidater, der i Aaret 1835 agtes dimitterede til  
Universitetet, ere:

1. *Johan Clemens Tode Reinhard*, en Søn af afdøde Districtslæge i Frederiksborg *J. N. V. Reinhard*.
2. *Jacob Frederik Kinch*, en Søn af Cancellie-Secretair, By- og Birkeskriver i Frederiksborg, Hr. *O. P. Kinch*.
3. *Hans Peter Duurloo*, en Søn af Musiklærer i Frederiksborg, Hr. *J. Duurloo*.
4. *Johan Ditlev Zepelin Recke*, en Søn af Major af Cavalleriet, Hr. *E. D. v. Recke*.
5. *Carl Frederik Wilhelm Bodenhoff*, en Søn af Premier-Major ved Husar-Regimentet, Hr. *F. v. Bodenhoff*.
6. *Jens Louisianaus Muxoll*, en Søn af Kjøbmand i Maarum, Hr. *R. A. Muxoll*.
7. *Johannes Erlandsen*, en Søn af afdøde Skomagermester i Frederiksborg *F. C. Erlandsen*.